



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

I. In VII. Synodo primatus Romani Pontificis emicuit. Nam summa auctoritas ejus admussa est. Probatum ex Actis; ubi patres eo inter alia argumento prædatoriam synodum à Constantino Copronymo coactam ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

ceteris Pontificibus eminentissimus antistes, ὁ πῶς ἀρεσθεύσας τῆς ῥάμης καὶ ῥαπολικῆς ἀκροπόλεως ἀρχιερωτικῶς ἑσθὸς καθέδρος. se dogmaticis illius literis consentientes, grassantem hæresim repressisse, seque illius traditiones, quem admodum ille & ante synodum & unâ cum synodo paternas amplexus erat, secutos fuisse: ἡμεῖς τε ἢ τοῖς σκεῖναι, καὶ τὰς ἡμῶν καὶ αὐτῶν ἡμῶν σκεῖναι τὰς ῥαπολικῆς τε καὶ πατρικῆς ἀποδοχῆς ἀποδοχῆς. Veritatis enim lucem ex Occidentis partibus effulsisse, chartam atramentum illitam exhibitam, sed Petrum per Agathonem fidei mysteria elocutum: Χαρίτης καὶ μέλαν ἐφαίνετο, καὶ δι' Ἀγαθῶνος ὁ Πέτρος ἐφθέγγετο. Eundem loquendi modum sequuntur in relatione synodica ad Agathonem; quem gravissimis Ecclesiæ morbis peritissimum medicum à divino numine datum aiunt, qui valetudinem illius curaret. Ex ejus literis à præcelsò Apostolorum vertice divinè prescriptis se nuper exortam hæresim depulisse, ipsòsque hæreticos anathemate confixisse, juxta præjudicatam à sede apostolica sententiam.

V. His verbis, suffragij prærogativam illam imperialem significant. Quid enim aliud indicari potest per illam τῆς ἡγεμονικῆς ἀποφάσεως? Deinde partes cuique suas in hoc negotio damnatæ hæreseos assignant. Spiritui sancto illustratiohem tribuunt, Pontifici doctrinæ informationem, Imperatori tuitionem, & Gregorio Constantinopolitano Episcopo primam sententiam & primum consensum adhiberent definitioni Agathonis. Quæ prima sententia à Consule, aut à primo Senatore, seu Principe Senatus ferebatur, quando Princeps rogabat sententias in Senatu. Contendunt verò à Summo Pontifice ut iterum quoque venerabili rescripto suo synodi sententiam confirmet. Quod Leo II. successor Agathonis præstitit, Concilij definitione auctoritate & ἀσθενείᾳ beati Petri confirmata.

## CAPVT XIV.

## Synopsis.

I. In 711. Synodo primatus Romani Pontificis emicuit. Nam summa auctoritas ejus admissa est. Probatur ex Actis; ubi patres eo inter alia argumento prædicatoriam synodum à Constantino Copronymo coactam universalem esse non posse non pronuntiant, quòd ei Papa auctoritas non adfuisse, ut lex Conciliorum exigebat. Tum, quòd Patriarcha Orientis huic pseudosynodo non consenserint.

II. Hadrianus I. cupit conciliabulum illud in irritum mitti, quòd sine sedis apostolicæ auctoritate habitum fuerat. Hoc vitio carnis Septima Synodus, in qua

recitantur epistole Hadriani, qua restitutionem imaginum præscribit. Legati ejus in ῥώμῃ & suffragij prærogativam Romanae sedis conservari in roganda Tarasij C. P. sententia.

III. Tarasius coluit auctoritatem sedis apostolicæ: qui se Hadriani literis subscribere testatur. Eadem fuit synodi professio. Ceterarum sedium consensus accessit ad consignandos Iconoclastarum errores.

IV. Prærogativam suffragij agnovit Tarasius ad Hadrianum scribens.

V. Legati sedis apostolicæ videntur contenti fuisse solo concessu privilegio in 711. Synodo: cujus disponendæ auctoritas tota in Tarasio fuisse videtur. Ea obiectio solvitur. Synodus illa admissa non est à Concilio Francofordiensi.

VI. Plena & integra auctoritate usi sunt Legati apostolicæ sedis in Concilio Othavo. Ea emicuit in libello ab apostolica sede directo, cui subscribere Episcopi lapsi. Episcopi quidam Dioeceseos C. P. id agere ferunt, quasi Ecclesia C. P. Romana tanquam ancilla domina subijceretur. Ea exprobratione commotus Imperator Basilii, chirographa à scriinis Legatorum subripi iussit, qua Anastasij Bibliothecary curâ reddita sunt, additis verbis in sedem apostolicam honorificentissimis.

VII. Hadrianus II. ad Ignatium C. P. scribens, jubet ut decretum synodi Rom. adversus Photium ab omnibus Episcopis subscribatur in Concilio Oecumenico, & in archiva Ecclesiarum referatur. Itaque Synodus 711. Romanorum Pontificum definitionem amplexa est cum plena causæ cognitione. Hinc factum ut ea synodus dicta sit universalis, ut notat Anastasius.

VIII. Consensus sedium patriarchalium per ipsos Patriarchas aut eorum Legatos exprimebatur; ut Maximus Abbas notavit. Probatur etiam ex Metaphraste.

IX. Schisma Orientalium non impedit hodie quin ejusdem momenti & auctoritatis censenda sint Ecclesiæ Romanae & Occidentalis decreta adversus novas hæreseos, tamen si Orientalium Ecclesiarum consensus desituantur. Attamen Ecclesiæ quoque Orientalis sua suffragia non ita pridem contulit in damnandis nuperæ sectæ ariculis.

**I**N Septima quoque Synodo primatus Romani Pontificis emicuit. Etenim non solius confessus prærogativa dignitasque sedis apostolicæ, sed etiam summa illa auctoritas admissa est quæ conventibus ecclesiasticis Concilij Oecumenici robor conferre debet. Constantinus Copronymus collecto trecentorum viginti octo Episcoporum conventu, qui sibi Synodi Septimæ Oecumenicæ titulum adscripserat, usum imaginum prohibuit. Ejus conciliabuli definitio relecta est in vera Synodo Septima, & per capita scripto antirrhethico confutata. Ac prima quidem inscriptionis verba, quæ Georgij Neocæsareæ Episcopus recitavit, ubi Synodi Oecumenicæ titulo se prædatoria illa synodus jaçtat, hoc pacto patres refellunt. Eam synodum universalem esse non posse pro certo ponunt quæ recepta à reliquis Episcopis universæ Ecclesiæ non fuerint, quod pertinet ad concordiam unitatè quoque

consensus significandam. Sed præterea addunt quæ auctoritatem synodi respiciunt, Papam nempe nec per suos Vicarios nec per circularem epistolam interfuisse, ut lex Conciliorum exigebat. Quomodo autem magna & universalis, quam neque receperunt neque concordaverunt reliquarum Præsules Ecclesiarum, sed anathemati hanc transniserant? Non habuit enim adiutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos qui circa ipsum sunt Sacerdotes, nec etiam per Vicarios ejus, neque per encyclicam epistolam, quemadmodum lex dicit Conciliorum. Pergit verò de consensu Patriarcharum hæc addere: Sed nec consentientes sibi Patriarchas Orientis, Alexandria scilicet, Antiochia, ac sanctæ civitatis, vel comministros & summos Sacerdotes qui cum ipsis existunt.

II. Hæc Synodi Septimæ professio Hadriani I. Pontificis desiderium implevit; qui conciliabulum illud, quod antiquam traditionem everterat, ante omnia in irritum mitti voluit, ex eo capite, quòd sine sedis apostolicæ auctoritate habitum fuerat: In primis pseudo-syllogum illud quod sine apostolica sede enormiter & irrationabiliter nequiterque contra sanctorum venerabilium patrum traditionem de sacris imaginibus actum est, anathemati ætetur presentibus Missis nostris. Eodem sensu in epistola ad Tarasium: ubi Missos vocat Apocripharios.

Hoc vitio caruit Septima Synodus; in cujus actione secunda relectæ sunt Hadriani epistolæ ad Constantinum & Irenem, & ad Tarasium Constantinopolitanum: quæ restitutionem imaginum juxta veterem Ecclesiæ morem præscribunt, in memoriam venerationis. His literis recitatis, Legati Romani, sui officij memores, sententiam Tarasij rogant, cum ea quæ in superioribus Conciliis invaluerat dignitate, τὴν γράμην & suffragij prærogativam, quæ his encyclicis epistolis continebatur, Romanæ sedi conservantes. Dicat nobis, inquit, sanctissimus Patriarcha Tarasius regie civitatis, si consentiat literis sanctissimi Papæ senioris Romæ, vel non?

III. At verò Tarasius sedis apostolicæ auctoritatem suo suffragio ita coluit ut ab ejus regulis in sinceræ fidei prædicatione discedere nemini fas esse putaverit, Apostolo testante Romanorum fidem annuntiari in universo mundo. Quare cum Hadrianus literis suis majorum traditionem asseruerit, se illius definitionibus subscribere Tarasius testatur. Paulus Apostolus, inquit, cum Romanis scriberet, approbans studium sinceræ fidei eorum, quam in Christum verum Deum habebant, sic ait: Fides vestra annuntiatur in universo mundo. Hoc testimonium sequi necessarium est; & inconsultè agit qui conatur resistere. Ταῦτ' ἐπὶ μαρτυρίᾳ ἔτε-

θαί ἀναγκασίον ἔστι καὶ ἀβουλῶν ἡγεῖσθαι τὸ ἀπὸ τοῦ εὐαγγελίου. Iterum Legati à synodo exigunt an literas Hadriani amplecteretur: quæ professâ est se illas sequi, suscipere, & admittere. Vt autem ad Romanæ sedis auctoritatem ceterarum quoque sedium consensus accederet, relectæ sunt Actione tertia synodicæ epistolæ Tarasij ad Patriarchas Orientis, tum Orientalium Ecclesiarum ad Tarasium. Atque ut illustrius hæreticorum vesania confutaretur, prolatae sunt in medium antiquorum patrum sententiæ, quibus legitimus imaginum usus commendatur. Itaque alienum visum fuit à disciplina Ecclesiæ ut res semel constitutæ abolerentur. Verum enim, inquiunt patres illius synodi, & rectissimum Ecclesiæ judicium, nec novum fieri, nec adimi in ea quicquam indulget.

IV. Prærogativam illam suffragij, de qua loquimur, agnovit Tarasius in epistola ad Hadrianum: qua fatetur quidem Christum in synodo caput fuisse constitutum, sanctis Evangelii in sancta sede propositis, quæ toti conventui judicij sincerè ferendi necessitatem imponebant, sed literis Hadriani ante omnia relectis, Christum per eas veluti quibusdam spiritualibus edulis universos pavisse, ipsūque Hadrianum, velut oculum quendam, ad rectam veritatis viam corpus universum direxisse; id est, ut loquebatur Concilium Chalcedonense, eo auctore & ἀρχηγῶς omnia decreta fuisse. ὡς ὀφθαλμὸς τὸ ὄλον σῶμα τοῦ τῆς ἀληθείας καὶ ἀληθείας τριῶν ὑπερεκείνων.

V. Non dissimulanda tamen est difficultas quæ à viris eruditis movetur, quod attinet ad officium Legatorum: qui dignitatem suam omnino tenuisse non videntur, ex eo quòd solo confessus privilegio & τῆ ἀποστολικῆς contenti, omnem actum Tarasio permiserint, qui interlocutionibus suis ordinem synodi constituebat. Sed observavimus superius eos in præcipuo capite, de quo erat controversia, jus suum usurpasse, sententiam à Patriarchis & ceteris Episcopis exigendo; in aliis verò articulis, quæ ab exercitato viro & linguæ Græcæ callentissimo expediri debebant, Tarasio ordinem omnem concessisse, qui Legatos Latine linguæ onere illo levavit. Quod tamen ultro aggressus non est, ac si jure proprio hæc auctoritas sibi competeret, sed post Synodi delegationem, id est, ex Legatorum & reliquæ synodi mandato, quod illi datum est ad suggestionem Episcoporum Siciliae. Cur autem in Concilio Francofordiensi hæc synodus admittâ non fuerit, diximus libro II. cap. XVII. §. II.

VI. Plena verò & integra auctoritate usi sunt Legati apostolicæ sedis in Octava Sy-

AD. VII.

Epist. Tarasij ad Hadrianum, in Act. VII. 116.

Epist. Synod. ad. 71.

Epist. ad. 71.

Epist. ad. 71.